Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 49

Quelle:
Copyright:

ad cujus calcem Rubrica praecipit ἀδυνατον: *Reliquos pſalmos require in principio poſt nocturnos dominicales;* nihil enim ejusmodi fuit unquam in Codice. *Salomonis* Libros praecurrit *Eccleſiaſticus.* Praefationes *Rabani Mauri* ad Regem *Ludovicum* et Archidiaconum *Geroldum* Libris *Machabaeorum,* quorum II. c. 12. habet Defunctorum memoriam, poſtpoſitae ſunt, hacque clauſula terminantur: *Finitis ordinarie omnibus libris veteris teſtamenti hic iam incipit prologus in ewangelium mathei.* Epiſtolae *Pauli ad Coloſſenſes* ſubjecta eſt ſpuria *ad Laodicenſes.* Teſtimonium duplex I. *Joh.* c. 5. v. 7. 8. rite habet, quamvis ſpatiolo inter poſterius *hij* et *tres* pumex admotus videatur. In anteriore Tabula lignea, qua Codex munitur, rudi pictura viſitur Servator cruci tribus clavis adfixus adſtantibus *Maria* et *Johanne*, in poſteriore vero Deipara Filium geſtans et lunae inſiſtens. Adeſt ei a dextra, ut opinor, *Eliſabeth* cum filiolo *Baptiſte*, a ſiniſtra vero *Catharina* rota, machaeraque inſignis, laevaque capiti Clerici in genua procidui, Mariamque his verbis adpellantis: *Ora pro me Sancta dei genitrix Maria!* impoſita. Atque, ut noſcas Supplicem, ad pedes legitur: *Nicolaus Plebanus;* et plenius infra picturam: *Liber biblie nicolai plebani de wintrberg et hoc ſub anno domini Milleſimo CCCC°. LX°. ſexto amen.* Eſt vero *Winterberga* Civitas *Bohemiae* ad fines *Paſſavienſes.* Ut ſcias, nihil fraudibus inacceſſum eſſe, Veterator quidam majorem Codici aetatem adrogaturus quartum C eraſerat. Sed fucum non fecit characterum variae aetatis gnaro. Itaque quartum illud C jure meritoque reſtitui.

XXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 6 Folior. 342. f. currente calamo per duas columnas exaratus, et rubricis paene deſtitutus hanc Notam praefert: *Hunc librum teſtatus eſt ad collegium beate marie virginis domus rubee roſe* (dictae etiam Burſa Roſae, Roſenburſch,) *aput fratres predicatores in Vienna Egregius ac venerabilis vir magiſter andreas de potenprun* (Pago infer. Auſtriae) *arcium et theologie profeſſor eximius Atque eccleſie Kathedralis Sancti ſteffani canonicus premeritus.* Ita olim aut Canonici docebant, aut Profeſſores Canonicatibus donabantur. *Andreas* noſter annis 1469. et 75. ſimul Academiae Rector praeerat, ſimul ſacras Literas exponebat. Codex porro illius ſat mendoſe ſcriptus *Biblia* vulgatae Interpretationis continet hoc inſolenti ordine: *Pentateuchus, Joſue, Judices, Job, Machabaei, Paralipomenon* L. I. abruptus in C. XII. Deinceps IV. *Evangelia, Actus Apoſtolorum, Epiſtolae Pauli,* et *Canonicae,* demum *Apocalypſis.* Adſunt Prologi *Hieronymiani,* et Argumenta, prout habentur in *Bibliis gloſſatis. Machabaeis* praefatur etiam *Rabanus* tam ad *Ludovi-*